DEO OPTIMO MAXIMO, VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XI. MARTII,

M. HERMANO DE LAVNAY, Doctore Medico, Præside.

An tuendæ Valetudini frequens & moderata Purgatio? 987

OPTIMA & inculpata Valetudo nemini adhuc contigit, frustra votis expetita: quàm penè immortales nos redderet, eximia temperie & peridonea concinnatione corporis: ad eam quæ propiùs accedit, censetur potissima; Est etiam quædam Valetudo à prima remotissima, & vicina morbo, nondum morbus, cui semper assideat Medicus, oportet; In altera rari morbi, nisi animi vitio aut gravi casu invehantur: sed gutturis & ventris vitia docemur à teneris, quin ad ipsa cogimur, inde est quòd pauci homines bene valeant, infinitus autem sit eorum numerus, qui valetudine nutent. Causarios facit viscerum mala natura, pravorum succorum ferax, illis intemperantes adscribit incauta vitæ ratio; si tamen ambo prudenti Medico credant, hi robusta, illi quantumvis tenui, longinqua tamen valetudine perfruentur.

PRVDENS Medicus tuendæ Valetudini non alimenta solùm adhibet, vtitur & medicamentis: neque alterantia sufficiunt, catharticorum etiam magnus vsus est. Malè habiti congerunt intra se plurimum impuritatis, quam frustra speres naturæ viribus abactum iri: illa difficiliùs, quò seriùs, egeritur, suffocatura tandem vitæ flammam, nisi citissimè, nullâ naturæ iniuriâ, submoveatur; quia in dies, quasi Tityi fibræ, ad cruciatuum diritatem, renascitur, minimùm otii Medico impertitur: hinc alternant homines cogitationem, cui se potiùs cruciandos tradant, noxiis humoribus, an molestis medicamentis. Horum quæ mala sors, intemperantium studium videtur, quibus ex copia bonarum rerum malæ nascuntur, tanta est istorum in vtendis vitæ commodis perversitas.

VNDECVMQVE visceribus malè sit, seu naturâ seu malâ consuetudine, vitium oblatum est, ex ingestis alimentis pravorum succorum magnus fit proventus, consilio Medici sæpius ante natos morbos evehendus: at etiam bene se habentibus coacervantur impuri humores; sunt, quos valida natura alvi profluviis, his sordibus liberat, quamdiu vitæ cavent; verùm quotusquisque nostrûm vitæ satis attendit? aufert aliò nec opinantes aut virtus aut vitium; sic restitant impuritates conclusæ visceribus, quæ vi partium remotæ paulisper, hærent in viis, & morâ καταγλισχάνοντα, officiuntque liquidioribus adhuc aliis sua penè sponte prodituris; hâc oblatâ occasione, silentio morbi irrepunt, perdituri sic affectos, nisi tempestivè occurrat ὑγιεινός: Annon idem qui Medicus? siquidem eadem vtriusque opera est, neque hoc ille potiora præstat: quid autem ambo vtilius præstiterint, quàm si frequentem & moderatam purgationem instituant, futurorum morborum tutissimam profligatricem, dummodo convenienter apparatus fuerit humor, à quo non incassum metuitur?

TRIA purgantium medicamentorum genera Medici norunt, Vehementia, inimica & venenata vi formidanda: Lenia, proxima cibis: & Mediocria, quibus præcipua purgandi laus. Vt se Tortorem profitetur, qui tuendæ Valetudini μοχλικά, veluti Carnificinæ instrumenta, admovet; frustraneum, qui levioribus eccoproticis vtitur: sic palmam meretur vnus, qui è Purgantium classe tutum aliquod, & sine damno efficax eligit, quale Sena perhibetur, quibus convenit πάγχρηστον medicamentum, & certissima Panacea, antidotis contrà æstimanda. Qui hac spreta purgandi ratione, aliam vsurpat, optato fine vix potitur: Nam si parcis medicamento, & eo vteris, quod facessit in alimentum, inquinas alienæ rei permistione bonos succos, pravos impuras magis, atque ipso quod metuis, graviorem morbum arte moliris. Si autem truculentiore medicamento imminentibus morbis occurses, quod tardare fatum cogitas, lethali potione miser occupas, nimiaque cura Medicum exuis. Moderata purgatio contumaci humore sine detrimento naturam levat, dum purgantis medicamenti vis paulatim subit viscera, & tardantes in illis crassos impurosque humores secum aufert, nullo superstite molesto sensu deterforum viscerum. Hoc opus est vnius Medici, reliquæ purgandi rationes ad inertes pertinent.

PVRGATIO ritè instituta nunquam nocet, quia neque vires afficit, neque indiscriminatim quosvis humores protrudit, vitiosos & superfluos duntaxat trahit; ne levissimè quidem commotis aliis. Sæpe & tutò vsurpatur, & quoties aliquid alieni nostris in corporibus latet, quod solertis Medici cura prius mitificaverit. Certè, ex reliquiis alimentorum succrescunt quotidie mala morborum semina, vitiosi & rebelles succi, qui, nisi medicamento coacti, naturæ non satis parent, neglectique à Medico, resistunt in viis; hac mora putrescunt; & putredine vstulati, atræ bilis naturam quodammodo induunt. Eludunt igitur ignaviam Eccoproticorum; illos autem rapida Cathartica prætereunt, dum corporis colliquamenta, more torrentis, turbidas aquas præcipitant; Mediocrium verò medicamentorum in eosdem suprema potestas; ea lentiùs quidem agunt, sed certiùs: quippe in reconditissimos viscerum recessus sese insinuant, affinesque humores alliciunt, tum allectos, secum deportant: quid miraris aut quereris ab ipsis excitari tormina, dum it per intestina morbi materia? tam verè illud, quàm vulgò dicitur, non prodesse purgationem, quæ non torserit: sed ea desinente, dolores evanescunt, succeditque turbis omnibus expeditissima corporis alacritas, &, qualem disputaturus cum Zenone, elleboro quærebat Carneades, cum perspicacissima mentis acie, pacatissima cogitatio.

Ergo tuendæ Valetudini frequens & moderata Purgatio.

 428.

Proponebat Lutetiæ ROBERTVS PATIN, Parisinus, A.R. S. H. M. DC. XLIX.